

119. — Dum suavitas gravitate compensatur, affabilitate fortitudo sarcitur, quae est *virtus qua quis in communi consuetudine mediocriter uti decet, se habet studetque quantum potest benigne obsequi*<sup>1</sup> quantum, enim, profuerit in ipsis regibus *facilitas blanda affabilitatis, quantoque conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis*<sup>2</sup> dixerit nemo. Animos, enim, sedare, amicos conciliare, a malis liberare, et Deo similes efficere affabilitatis esse iterum iterumque docet Sapiens. *Affabilitas regina perpetua ac maiora tribuit*<sup>3</sup>, nam *qui dulcis est eloquio, maiora percipiet*<sup>4</sup>: haec ad animos conciliandos plus quam beneficia potest, *nonne ardorem refrigerabit ros, sic et verbum melius quam datum*<sup>5</sup>: haec ferinos inimicorum demulcet animos et amicos reddit, *in verbis suis monstra placabit*<sup>6</sup>: hac tantum Pastor fortis praeclarusque redditur, *et peragit tranquilla potestas quo violenta nequit*<sup>7</sup>. Idcirco *affabilem se praebere quibuscumque convenire regnanti*<sup>8</sup> Angelicus docet, quod et Servator noster servasse legimus qui [quamvis omnium Dominator sit] suavissimum affabilitatis suae nobis reliquit praeceptum, iubens: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*<sup>9</sup>. Quae vero docuit, confirmando exemplis, *hic in terris visus est et cum hominibus conversatus est, nec habuit amaritudinem conversatio illius*<sup>10</sup>, qua *praedicans evangelium regni Dei, sanans omnem languorem ac infirmitatem*<sup>11</sup>, Sacratissimi sui Cordis thesauros nobis ostendit, ac se Ipsum in cibum praebuit. — Nec alius, de coetero, agendi modus tum a ratione, tum ab ipsa pastoralis regiminis suavi indole suadet. Adeo, enim, res et modus sese inter devinciuntur ut, saepissime, bonum mala ratione peractum, fere pro malo a multis habeatur, et vitium comiter perpetratum, nec vitium putetur. Bonum vero bonitatis suae multum semperque amittere si inepta agatur ratione, certum est.

120. — Media ad rem si exquiras, in humilitatis cultu fere omnia contineri respondemus; tam nil ad fiduciam sibi comparandam utilius efficaciusque habetur quam humiliter erga subditos se habere: humilitas, enim, filios ex subditis superbia, contra, servos facit; illa studium, haec odium parit. — Attamen et urbanitatis legum observantia [quae, quod numquam satis dolendum, saepe, nimis facile, posthabentur] plurimi in re facienda sunt. Pressius vero ad rem:

a) Fidelium sibi aucupentur corda, et ad rem industriae

<sup>1</sup> Cicero, *De Officiis*, Lib. II.

<sup>2</sup> Id. *Ibid.*

<sup>3</sup> *Eccles.* IV, 4.

<sup>4</sup> *Prov.* XVI, 21.

<sup>5</sup> *Eccles.* XVIII, 16.

<sup>6</sup> Id. XLV, 2.

<sup>7</sup> Horat. *Od.* IV.

<sup>8</sup> II<sup>a</sup> II<sup>o</sup>, quaest. XIV.

<sup>9</sup> Matth. XI, 29.

<sup>10</sup> S. Gregor. Magn. Homil. VI in *Ezech.*

<sup>11</sup> Id. *Ibid.*

tribus generalibus normis [universam fere tractationem complectentibus et eius per cursum illustrandis] continentur, nimirum, fidelibus displicentia devitare, ipsis placentia praebere, quo et discordiae semina inter ipsos haud iacentur<sup>1</sup>. Idcirco, compendiosissime:

I) Officia parochianos erga sedulo exerce; nimirum:

1. Residendo ac actuose te habendo adeo sollicitam tuo numeri impendas operam, ut primas partes in tua vita ipsum obtineat.

2. Pauperibus ac tribulatis adeo prompte, libenter ac large succurre ut divitiis, parochianorum, murmurationibus consociatis, paupertatem ipsis benedictibus praeferas.

3. Infirmorum visitationes, sacramentorum administrationem ac divini cultus curam adeo in deliciis habe ut nulla de re legitima obmurmuratio haberi possit.

4. Et familiae visitationes ad hoc tibi prodesse possunt, in quo tamen tam prudenter te habebis ut partialitatem summo opere devites.

II) Passionum stimulis [uti, invidiae, credulitatis, irae, avaritiae] subiacere, in rebus quae tibi non pertinet [uti temporali pagi administrationem, curionum ac deputatorum electione, aliorum praediorum cura, negotiatione ac commerciis] plusquam par est te immiscere, in ecclesiasticis concionibus nimis ad peculiaribus, quosdam offendit, devenire: nimis rigide et frequenter in correctione te habere, ac libertatem parochianorum indebite coarctare; paroeciae mutationem ambire; de grege obloqui, ac tuorum domesticorum in omnibus querelas ac contentiones non compescere; iura stolae mordicus urgere, nimis frequenter elemosinas sollicitare, alterius damnum non devitare, lites urgere et ita porro, si gregis tui tibi aucupare corda intendis [salva iustitia et caritate] quae maxime devitabis.

b) Adiuventum praebetur fidelibus, nam *liberitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant*<sup>2</sup>, cuius tanta vis est ut sine ea regiminis claves haud stare possint penes regentes. *Nullum, enim, est imperium tutum nisi benevolentia munitum*<sup>3</sup>, et *amorem nostrum erga subditos adeo plus bona operatio loquitur quam lingua, ut in ipso bono opere proximus noster amari se videat*<sup>4</sup>. Si, enim, ad christifidelium nobis aucupandam aestimationem magna virtus sufficit, ad eorum vero benevolentiam captandam beneficiis ac elemosymis indigemus, quibus stu-

<sup>1</sup> Cfr. Berardi *Op. cit.* n. 614.

<sup>2</sup> Seneca, *De Beneficiis*, Lib. II, Cap. 35.

<sup>3</sup> Plutarch. IV.

<sup>4</sup> S. Gregor. Magn. Homil. in *Ezechiel.*, Lib. II, Hom. 5.

dium nostrum ipsis ostendimus. Qui verborum venditores multi habentur, pastorem haud decent regimen quod, non loquutores, sed factores expostulat: agendorum, enim, umbra est sermo, et si haud confirmetur factis, subditi Sapientiae illud: *Nubes et ventus et pluviae non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens*<sup>1</sup> mordaciter obmurmurabunt. *Induite ergo vos sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiae, benignitatis*<sup>2</sup>, quae *fructus Spiritus est*<sup>3</sup>. — At haec omnia recta ratione adhibenda sunt, nimirum:

I) In rebus *quid, quare et quomodo*<sup>4</sup> largiaris attende; nam *beneficia sine ullo delectu, magis proicimus, quam damus*<sup>5</sup>, et ut Tullius monet: *benefacta male locata malefacta arbitror*<sup>6</sup>. Bini, enim, liberalitatis sunt fontes, nimirum, iudicium ac honesta benevolentia, quorum aquae uno in alveo defluere semper debent. Quid ergo donabit Pastor? In primis [quod per se patet] honesta, quippe *nil est liberale, quod non idem sit iustum*<sup>7</sup>: insuper non immodice, quo, inconsulta largitione, plures laeduntur quam beneficio devinciantur; *benignitate, enim, benignitas tollitur*<sup>8</sup>. Praeterea nec omnia uni, nam *pluribus prodesse non poteris*<sup>9</sup>; non omnibus, quippe quum *si singuli exsatientur, Respublica deficiet*<sup>10</sup>.

II) In personis earum condicionem, meritum, ac optata spectanda, nam, merentibus tantum virtutum praemia tribuenda sunt. Insuper non roganti tantum, sed medelae, consolationes, adiumenta beneficiaque plurima sponte fidelibus elargienda sunt, Servatorem Nostrum imitando qui ut nos a morte liberaret, e sinu Patris in terris venire dignatus est, ubi cum hominibus conversatus est, et ut nos ad se Ipsum traheret, ad nostrae miseriae abyssum descendere non dubitavit. Enimvero *sero dedit qui roganti dedit; ideo divinanda cuiusque voluntas est, et cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est*<sup>11</sup>. Sicut, igitur, sol preces haud expectat, ita Pastor bonus ut benefaciat nec plausum attendat, nec laudes, red sponte benefaciat, et pariter ac sol, omnibus carus erit. Coetera ad sem practica alibi recolemus<sup>12</sup>.

121. — Quae, ad prudentiam quod attinet, ecclesiastico in regimine servanda, praecipua hisce continentur, et ut Pastor paroeciam perbelle regere cupiens ea prudenter quidem at et sollerter servet nun-

<sup>1</sup> Prov. XXV, 14.

<sup>2</sup> Ad Coloss. III, 12.

<sup>3</sup> Ad Galatas, V, 22.

<sup>4</sup> Seneca, De Beneficiis, Lib. II, Cap. 35.

<sup>5</sup> Id. Ibid.

<sup>6</sup> De Officiis, Cap. III.

<sup>7</sup> Seneca, De Beneficiis, loc. cit.

<sup>8</sup> Id. Ibid.

<sup>9</sup> Id. Ibid.

<sup>10</sup> Id. Ibid.

<sup>11</sup> Id. Ibid.

<sup>12</sup> Cfr. in indic. alphabetic. Eleemosyna.

quam satius dicitur. *Scientia Sanctorum prudentia*<sup>1</sup> quae *auro melior est . . . , pretiosior argento*<sup>2</sup>, quum ea *roboretur domus*<sup>3</sup>, *et in corde prudentis requiescat sapientia*<sup>4</sup>, *quocumque se vertat adeo prudenter intelligit*<sup>5</sup>, ut et fidelium *corda ei manifesta fiunt*<sup>6</sup>. Tunc, huius virtutis gratia, cogitationes, sermones operaque Pastoris adeo *statera ponderabuntur*<sup>7</sup>, ut proficiat fidelibus, *placeat Magnatis*<sup>8</sup>, et [Davidis Regis ad instar], *omnia prudenter agendo, Dominus erit cum eo*<sup>9</sup>. *Inclina, igitur, o Pastor, cor tuum ad agnoscendam prudentiam, . . . et intelliges timorem Domini et scientiam Dei invenies*<sup>11</sup>.

<sup>1</sup> Prov. IX, 10.

<sup>2</sup> Id. XVI, 16.

<sup>3</sup> Id. XXIV, 13.

<sup>4</sup> Id. XIV, 33.

<sup>5</sup> Id. XVII, 8.

<sup>6</sup> Ecclis. XXI, 28.

<sup>7</sup> Id. XX, 29.

<sup>8</sup> I Reg. XVIII, 14.

<sup>9</sup> Prov. II, 3.

<sup>10</sup> Id. III, 5.

<sup>12</sup> Id. II, 5.